

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De Fixione. Cap. LIII

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

igne, quousque aqueitas evanescat & induretur.

*De Fixione.*

CAP. LIII.

**F**ixio verò est rei fugientis ab igne ad ipsum conveniens aptatio. Causa verò inventionis ipsius fuit, ut omnis tinctura omnisque alteratio medicinæ perpetuetur in alterato, & non mutetur, nec separetur ab eo per ignem. Diversificatur verò & ipsa similiter secundum rerum figendarum multiplicitem: quæ sunt corpora quædam à perfectione diminuta; sicut Saturnus, Jupiter & Venus: & spiritus qui sunt scilicet sulphur & arsenicum in gradu uno; & argentum vivum in alio; in tertio verò marchesita, magnesia, & tutia, & horum similia in natura. Figuntur autem corpora hæc à perfectione diminuta per suam calcinationem & reductionem: quoniam absoluntur per eam à sulphureitate combustibili & fugitiva corrumpente. Et hanc sufficienter in sua narravimus oratione, scilicet in capitulo calcinationis. Figuntur autem sulphur & arsenicum duobus modis. Primo per reiterationem sublimationis super illa in vase aludele quousque stent. Est igitur ex hoc intentio festinationis illorum fixationis, ut ingenieris ad inventionem

tionem multiplicis reiterationis sublimationis in brevi tempore : quod per duo fit aludel, cum duplicibus suis cooperculis, hoc ordine seu modo: scilicet, ut nunquam ab actu sublimationis desistas, donec fixa fuerint. Projiciatur ergo id, quod in uno cooperculo ascendit immediatè in aliud aludel, & sic alternata vice reiteretur : & nunquam otiosa permittantur aludel spondilibus adhærere ; quin in continua sint sublimatione ignis, quousque cesset illorum elevatio. Quanto enim in breviori tempore poteris multiplices sublimationis reiterationes complere : tantò celerius & melius continget ipsa fixari. Ideoque fuit secundus fixationis modus inventus : qui est per ipsius sublimandi præcipationem, ad calorem ignis, ut continuè in illo sit, donec figatur. Et hoc fit in longo vase vitreo cujus fundus sit terreus, & non vitreus (quoniam scinderetur in partes) illi artificialiter cum clausura bona connexus ; & per spatulam ferream vel lapideam, cum ad spondilia ejus adhæserit, dejiciatur ad ima caloris continuè, per alternas vices quousque figatur, & amplius non ascendat. Fixionis verò modus argenti vivi est idem cum modo fixationis sulphuris & arsenici : & non diversificantur inter se, nisi in hoc ; quod non possunt sulphur & arsenicum figi, nisi prius eorum partes inflammabiles

mabiles tenuissimæ, ingenioso & subtili  
 divisionis artificio ab eis separentur, per  
 hunc ultimum fixationis modum. Argen-  
 tum verò vivum hanc considerationem non  
 habet, quia non comburitur nec inflamma-  
 tur per ignem. Quare similiter tempera-  
 tiori calore quàm argentum vivum indi-  
 gent illa in hoc modo. Similiter diversifi-  
 cantur: quia in longiori figuntur tempore  
 quàm argentum vivum. In eo similiter,  
 quoniam altiùs elevantur propter suam ra-  
 ritatem quàm argentum vivum: ideoque  
 longiori vase indigent, quàm argentum  
 vivum ad suam fixationem. Fixionis autem  
 modus marchesitæ, magnesiæ & tutiæ est:  
 ut cum post primam illorum sublimatio-  
 nem acquisiverimus quod ex eis volumus,  
 abjectis illorum fecibus, reiteremus super  
 ea sublimationem, totiens convertendo  
 quod superiùs ascendit, ad id quòd infe-  
 riùs remansit, ex unoquoque illorum, quo-  
 usque figantur.

*De Ceratione.*

C A P. L I V.

CERATIO est ad liquefactionem dura  
 rei vel sicca non fusibilis mollifica-  
 tio. Ex hoc igitur manifestum est: quod  
 causa inventionis hujus fuit, ut quod in-  
 gressionem ex privatione suæ liquefactio-  
 nis